

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

5 September 2018

.....

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. On the road to Paradise

Per quadraginta continuos dies ambulavimus, nullum omnino cibum sumentes, aquam tantum bibentes. Ambulantibus ergo nobis, subito voces populi innumerabilis audivimus psallentium, et odor suavissimus, quasi balsami optimi et pretiosissimi, venit nobis, et sicut de mellis favo dulcissimo, os nostrum indulcoravit. De suavissimo igitur odoris nectare, ac caelestis melodia cantilenae sopor nos arripuit. Post modicum autem surgentes e somno, vidimus ante nos ecclesiam, mirabili ornatu decoratam, ac pretiosissimam, quae tota quasi crystallina videbatur, in medio autem ipsius ecclesiae altare honorificum, et de altari aqua egrediebatur, quae lactis candidissimi colorem habebat. Nos autem aquam ipsam in veritate lac speravimus. In circuitu vero fontis illius stabant viri sancti et honorabiles, et cantabant canticum caeleste . . . Stellae super ipsam ecclesiam plus quam huius mundi sidera lucebant, sol ibi septemplex lucebat et calebat, quam in huius terrae regione; alpes et arbores omnes plus altae, et folia ac fructus plures et dulciores, quam istius mundi arbores habebant; sed et aves caeli aliter resonabant, quam aves terrae istius.

2. John Clyn of the Friars Minor concludes his annals with an account of the Black Death and a wish for the future.

Ista pestilencia sic erat contagiosa quod tangentes mortuos vel inde infirmos incontinenter et inficiebantur et moriebantur, et confitens et confessor simul ducerentur ad sepulchrum. Et pre timore et horrore, pietatis opera et misericordie, videlicet, visitare infirmos et mortuos sepellire, homines exercere vix audebant. . . . Vix in domo unus tantum moriebatur, sed communiter vir et uxor cum natis eorum et familia unam viam, scilicet mortis, transierunt.

Ego autem frater Johannes Clyn de Ordine Minorum et conventu Kilkennie hec notabilia facta, que tempore meo acciderunt, in hoc libro scripsi, que oculata fide vel fide digno relatu didici, et ne gesta notabilia cum tempore perirent et a memoria recederent futurorum, videns hec multa mala et mundum totum quasi in maligno positum, inter mortuos mortem expectans donec veniat, sicut veraciter audivi et examinaui sic in scripturam redegi, et ne scriptura cum scriptore pereat, et opus simul cum operario deficiat, dimitto pergamenam pro opere continuando, si forte in futuro homo superstes remaneat, an aliquis de genere Ade hanc pestilenciam possit evadere et opus continuare inceptum.

3. Hugh of St Victor: The door and the window of the ark

Archa diluvii, sicut iam dictum est, cordis nostri secretum est, in quo latere debemus a strepitu huius mundi. Sed quia ipsa nostre conditionis infirmitas diu nos in silentio intime contemplationis pausare non patitur, exitum habemus: ostium et fenestram. Ostium significat exitum per operationem, fenestra exitum qui fit per cogitationem. Ostium deorsum est, fenestra sursum, quia actiones ad corpus pertinent, cogitationes ad animam. Hinc est quod per fenestram aves exierunt, per ostium bestie et homines. Quod autem per avem anima significetur et per hominem corpus, habemus ex libro Iob ubi dicitur: ‘Homo ad laborem nascitur, avis ad volatum,’ quoniam sic in hac vita sumus nati, ut si volumus animam per contemplationem sublevare, necesse sit corpus per exercitia laboris atterere. Quod vero ostium in latere positum dicitur, hoc significat quod nunquam a secreto cordis nostri per operationem exire debemus ex proposito intentionis, sed ex accidenti occasione necessitatis.

4. Benedict of Peterborough: A vision of the martyred Thomas Becket

Aspiciebam in visu noctis martyrii eius, et ecce dilectus noster, candidus et rubicundus, venustus facie et aspectu desiderabilis, in vestibus et ornamentis pontificalibus introibat ad altare Dei, quasi missarum celebraturus mysteria. Quod cum etiam sequenti vel tertia nocte vidissem, cogitare coepi postremo, et motu labiorum castigato intra memet ipsum dicere, 'Nonne iam saepius per visum mihi dominus meus apparuit? Quare dissimulanter egi et ei non sum loquutus? Vadam ad eum et loquetur mecum, aut certe loquar et respondebit mihi.' Et accedens cominus, petita et accepta benedictione, subieci, 'Ne, quaeso, domine, irascaris si te interrogavero.' Et ille, 'Loquere.' 'Domine,' inquam, 'nonne mortuus es?' At ille Gallice interroganti respondit sermone Latino, 'Mortuus fui, sed surrexi.' Tunc ego, 'Si vere surrexisti, et inter martyres computandus es, ut credimus, quare teipsum non manifestas mundo?' Sanctus ad haec, 'Lumen porto, sed non potest propter nebulam interpositam apparere.'